Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2157

Quelle:
Copyright:



*menſura diatonici generis. in quo omnis legitimus noſtri temporis cantus absque omni diſſonantia diſcurrit.* Et additur: *Explicit muſica domni abbatis Bern.* Tum continuo: *Incipit menſura fiſtularum.* Initium: *Cognita omni conſonantia fiſtularum* &c. Particula haec edita e *Mſ. Admont.* legitur T. II. *ſupracit.* p. 286. Sed in *Cod.* noſtro adjunctam habet aliam, quae incipit: *Si fiſtulę equalis groſſitudinis fuerint* &c. et pariter T. *cit.* p. 277. comparet ſub nomine *Gerlandi* Can. Reg. et Scholaſtici S. *Pauli Veſontini* Scriptoris Sec. XII. deſumta ex alio *Cod.* Bibl. noſtrae Palat. ut Celſ. Editor teſtatur. Sequitur mox: *De menſura organiſtri*, hoc initio: *Si organiſtri regulariter menſurandi ſubtilem noticiam habere uolueris* &c. et: *De Ponderatione Cymbali*, hoc initio: *De ponderacione cerę primi Cymbali abicias quartam partem* &c. Atque duas has περικοπας in Editis non reperi. Subjicitur illis poſt vacuam integram paginam: *Explicit Muſica domni* (nomen eraſum) *Incipit tonarius ejusdem.* Atqui *Tonarius* hic *Bernonis* eſt, igitur eraſum *Bernonis* nomen, id, quod et ſupra ad *Menſuram Fiſtularum* factum eſt, et ad ipſius *Tonarii* calcem, ubi legas: *Explicit Tonarius Domni — — — Laus tibi ſit chriſte per quem liber explicit iſte.* Quid porro Poſſeſſorem quendam *Codicis* olim induxerit ad abolendum *Bernonem*, et an huic, ut in *Tonario*, ita etiam in praecedentibus de *Fiſtulis*, *Organiſtro* et *Cymbalo* Articulis injuria illata ſit, altioris foret indaginis. Ego de *Tonario* id noto: uſque ad Rubricam: *Modi uel tropi quos uſualiter tonos uocamus* &c. quae in edit. T. II. p. 83. legitur, multo illud amplius extare in *Cod.* noſtro, quam quidem in *Palatino Vatic.* et *Admont.* e quibus procurata eſt editio.

VII. *fol.* 62. p. 2. *Incipit epiſtola Johannis ad fulgentium epiſcopum de arte muſica.* Initium: *Domino et Patri ſuo venerabili anglorum antiſtiti fulgentio — iohannes ſeruus ſeruorum dei. quidquid patri filius. dominoque ſeruus* &c. *Johannem* hunc in quibusdam *Codd.* adpellari *Cottomum* docuit Celſ. *Gerbertus* cum in *Praef.* T. II. tum ad p. 230. reliqua ejus, uti et *Fulgentii* Epiſcopi, in incerto relinquere coactus. Tractatum ejus, quem novit *Anonymus Mellic.* c. 69. conſtantem *Capitibus* XXVII. edidit p. mox *cit.* ad eundem modum, quo in praeſenti *Codice* legitur; *Tonarium* vero adjunctum, quod in *Cod.* folia duo occupat, omiſit, cum a *Bernonis Tonario* parum diſcrepet. *Johannem* noſtrum, ſi quidem *Anglus* fuit, in cognitione Externorum probe verſatum fuiſſe, docent excitati *Guido*, *Berno* et *Hermannus Contractus.* In exemplum impreſſum *Prooemii* mox ad initium irrepſit σφαλμα *et ſanitate fulget*, quod tollit Codex noſter: *et ſanctitate fulget.*

VIII. *fol.* 74. praevio *Capp.* XLI. elencho *Incipit Proemium in artem muſicam Willebelmi abbatis*